



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

166. An in hoc Siciliae Regno diebus Quadragesimalibus, & alibus jejuniis
usus sagiminis & laridi sit licitus habentibus Bullam Cruciatæ? Et hoc sit
licitum advenis, & peregrinis? Et multa alia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

los tales Religiosos aunque sean Sacerdotes pñden comens hucos, y lacticiños en la Quaresma con la Bula: porque la misma Bula Pumblea ò Latina se lo concede con estas palabras; *Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticiis comprehenduntur omnes cuiuslibet militiæ Regulares.* Pues si la misma Bula Latina habla vniuersalmente con todos los Regulares de las ordenes militares, siendo los tales Freyles verdaderamente Religiosos de las dichas Ordenes militares, parece claro, que la misma Bula les concede à ellos tambien este indulto; y aunque la tradicion Castellana dize, Caualleros de los Ordenes militares, no obsta porque la traduccion atendio à que semejantes Religiones militares, es su principal instituto de Caualleros Militares, à quien ayudan los Freyles, que todos juntos componen vna Religion militar; y assi como la traduccion, la denominacion de los mas principal, llamandolos Caualleros de las Ordenes militares. Empero la Bula Pumblea ò Latina hablo vniuersalmente, como hemos dicho. Esta doctrina se platica en el insigne Conuento de S. Maria del Monte de Orden Militar de S. Iuan, en la Diocesis de Toledo, segun me certifico D. Frei Miguel de la Solana Sacerdote del dicho Orden, natural de la muy honrada villa Carrascosa del Campo, en la Diocesis de Cuenca; y lo mismo deuen platicar los Conuentos de las otras Ordenes Militares. Ita ille; qui testatur ex Mendo hanc sententiam docuisse etiam Basilium Pontium de hoc interrogatum.

4. Verum in fauorem amicissimi viri Patris Barði obseruo, eius sententiam nouissime docere Antonium Escobar & Mendoza in *Theolog. Moral. como 1. libr. 7. section. 1. cap. 11. numero 116.* vbi sic ait; Laicis secularibus, & Equitibus Militarum Ordinum (dummodo hi Presbyteri non sint) conceditur, sine vlla temporis distinctione posse ouis ac lacticiis vesci. Ita ille, & paulò infra numero 130. sic ait; Equites Ordinis militaris, qui verè Religiosi sunt, & matrimonium contrahere nequeunt, verbi gratia, Diui Ioannis, tempore Quadragesimæ ouis, ac lacticiis vesci possunt. Quia instituti sunt ad seruendum Ecclesiæ fortiter dimicando aduersus hæreticos, & infideles. Non autem nomine militarium comprehenduntur Religiosi militares Clerici, quamvis non sint Sacerdotes, quos Freyles vocitant, & Choro inseruiunt: hi enim tenentur ab ouis, ac lacticiis abstinere. Rodriguez §. 6. n. 11. Sic Escobar.

5. At mihi magis placet sententia contraria, quam supra adduximus; nam in Bulla Latina postquam absolute conceditur sumentibus Bullam Cruciatæ indultum vescendi ouis, & lacticiis in diebus Quadragesimalibus, adiungitur; *Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticiis comprehenduntur omnes cuiuslibet militiæ Regulares.* Et immediate post auditur; Patriarchis verò Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque inferioribus Prælati, nec non aliis personis Regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint, secularibus, id minimè conceditur; nisi sexagenarij fuerint. Ex quibus verbis colligitur, Religiosos Militares etiam Sacerdotes, posse frui privilegio edendi oua, & lacticia; cum solum secularibus sacerdotibus id denegatur.

6. Nota hic etiam obiter, quod in ieiuniis ex voto pœnitentiæ, ac Iubileo extra Quadragesimam possunt seculares ouis vesci. Idem de Sacerdotibus, ac Regularibus assero. Sed si incidant in Quadragesima, postius sunt seculares ouis vesci, non Presbyteri, ac Regulares. Ita Escobar, & alij.

Sup. contentus in hoc §. inf. in Rel. 167. §. 1. & 2. & in aliis locis sunt seculares ouis vesci, non Presbyteri, ac Regulares. Ita Escobar, & alij.

RESOL. CLXVI.

An in hoc Sicilia Regno diebus Quadragesimalibus, & aliis ieiuniis usus sagiminis, & laræ sit licitus habentibus Bullam Cruciatæ?

Et an hoc sit licitum aduenis, & peregrinis?

Et multa alia adducuntur pro confirmanda consuetudine circa hoc in dicto Regno Sicilia. Ex part. 1. tract. 9. Ref. 21.

§. 1. Licetum esse, ex consuetudine, & auctoritate Doctorum manifestè apparet. Possè verò consuetudinem mitigare, & abrogare leges, & iura humana, communis refert Doctorum opinio. Id asserunt Theologi cum D. Thoma in part. 2. q. 97. art. 3. Canonista in cap. ult. de consuetud. Legista l. de quibus, §. de legib. & ita in terminis de ieiunio asserunt Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. n. 8. Bonacina tract. de legib. disp. ult. quest. 1. punct. 2. n. 2. Reginaldus tom. 1. lib. 3. cap. 1. sect. 1. n. 147. cum aliis; & ita in Belgio, exceptis paucis diebus, consuetudo permittit lacticia, etiam in Quadragesima, & apud Castellanos in Hispania, vt notat Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 8. n. 19. licitum esse edere in Sabbatho intestina animalium.

2. Sed dicitur in Belgio, & in Castella talem consuetudinem esse licitam: quia licitis, & bonis actibus rationabiliter fuerit introducta propter aliquam necessitatem; nam, vt dicitur in cap. fin. de consuet. longeva consuetudo non præualet legi, nisi sit rationalis: quod quidem non constat de nostra consuetudine veteri sagimine.

3. Respondetur primò, negando assumptum, nam vt probat Salas de legib. tract. 14. disp. 19. sect. 5. n. 45. ex D. Thom. Caiet. Medin. Conrad. Gerson. Sor. Valente. Tab. & aliis, communis, & vera sententia est, etiam si consuetudo cœperit, seu constet ex malis actibus, legem abrogare, vbi legitime præscripta fuerit; alia nunquam consuetudo eam vim obtinere possit, cum semper necessarium sit, actus illos contra legem gestos, initio illicitos esse, donec consuetudo illos excusans iam inoleuerit, præscriptaque sit lege abrogata.

4. Ad caput. v. fin. de consuet. dico consuetudinem non dici rationabilem, eò quòd licitis, & honestis actibus cœpta, ac continuata sit; sed alia ratione, in qua quidem assignanda variant doctores, vt videtur licet apud Menoch. de arbit. lib. 2. centur. 1. tot. cap. 82. & apud Salas vbi supr. n. 47. At, si fides habenda sit Gersoni part. 3. tract. de vita spiritali, lect. 4. coll. 1. alphab. 62. littera P, Gabr. in 4. disp. 42. q. 1. art. 3. dub. 6. Nauarro lib. 3. conf. de censuris in priori textu, consuetudo, in posteriori autem cons. 3. num. 3. nunquam censetur consuetudo rationi dissonans, nisi iuri diuino, aut naturali refragetur; at nostra consuetudo in hoc euentu illis iuribus non opponitur, sed soli pontificiæ, ergo non potest dici irrationabilis. Sed quidquid sit de hac doctrina.

5. Respondetur secundò ad argumentum principale ex Caietano in part. 2. quest. 97. artic. 3. Sanchez lib. 7. disp. 4. n. 14 de matrim. Suarez de legib. lib. 5. cap. 8. n. 24. Valent. tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 8. & aliis, fieri posse vt consuetudo contra legem humanam habeat quiddam ortum ab actibus malis, atque adeò non fiat initio rationabilis, & nihilominus tamen, succedente tempore, excuset posteros, & vim habeat abrogandi legem; nam (vt rectè inquit Caietan.) non tenentur posteri solliciti esse in inuestiganda causa, ob quam sui maiores cœperunt facere contra legem; quinimò verè possunt præsumere eos habuisse causam iustam. Ex his omnibus apparet, quomodo sine scrupulo licitum

licetum sit apud nos in diebus ieiuniorum larido, & sagimine, ratione inueteratæ consuetudinis: & hoc etiam licitum erit aduenis, & peregrinis. Vnde Nauar. in sum. 2. 3. n. 120. Couar. l. 4. var. cap. 20. n. 8. & Henriquez l. 5. de Missa, cap. 1. 5. num. 2. docent, Lusitanum transuentem per Castellam posse edere Sabbatho intermina animalium, quamvis in Lusitania id sibi non licet.

6. Quod verò vsus sagiminis sit licitus in hoc Regno, non solum ratione consuetudinis, vt probatum est; sed etiam ex autoritate multorum DD. patet: nam non ignobiles Authores probabiliter docent, quòd in illis diebus, quibus ex aliquo priuilegio licet comedere oua, caseum, & cætera lacticia, liceat etiam comedere laridum, & sagimen. Ita affirmat Gloss. in concedere laridum, & sagim. Abbas in cap. consilii. de iudic. Hostien. in sum. rubr. de obseruat. ieiunior. Syluest. verb. ieiun. q. 5. num. 16. Angelus eodem verb. Tabiena eodem verb. §. 7. Bertachinus, Auiles, & alij, apud Henriquez in sum. l. 7. cap. 1. 3. num. 11. in gloss. littera H. vbi etiam asserit ita respondisse aliquos Archiepiscopos Hispaniæ, qui de hac re consulti fuerunt: & ex neotericis Societatis Iesv docet hanc sententiam nouissimè Fagandez de Præcept. Eccl. tr. 4. l. 1. c. 1. n. 20. & ante illum Grassius in dec. part. 1. l. 2. c. 37. n. 11. Azorius p. 1. l. 7. c. 10. q. 18. Vide etiam Layman. in Theol. mor. l. 4. tr. 8. c. 1. num. 5. Et ratio est: quia pinguedo non est caro, vt probat Aristot. 2. de generat. finito enim naturali augmento augetur pinguedo. Scio, contrariam sententiam probabilem docere Villalobos in summa, part. 1. tr. act. 2. 3. dub. 8. n. 16. Filliucium tom. 2. tr. 2. 7. part. 2. c. 3. n. 61. & alios. Sed pro nostra sententia, vt visum est, non desunt patroni: & idè, vt probatum est, satis constat, vsum sagiminis in hoc Regno iustificari ex consuetudine, vt dicebamus, & ex DD. autoritate.

RESOL. CLXVII.

An Bulla Cruciatæ det priuilegium illam sumentibus, vt in ieiuniis alicuius Iubilæi possint edere lacticia? Et an ubi non adest consuetudo non abstinendi à lacticiis extra Quadragesimam, possint fieri ieiunia Iubilæi edendo lacticia etiam absque Bulla Cruciatæ? Idem est dicendum de ieiuniis ex voto, vel ex penitentia à Confessario iniuncta prouenientibus. Et docetur non solum de iure, sed neque de consuetudine interdicti in die ieiunij lacticia extra Quadragesimam. Ex p. 1. tract. 11. Ref. 3.

§. 1. Negatiuè respondet Nauarrus l. 3. de obseruat. ieiun. cons. 4. vel 5. in 2. editione, cum Iacobo de Grassis in dec. tom. 1. part. 1. l. 2. c. 37. n. 60. Et idem asserit in ieiuniis ex voto, vel ex penitentia à Confessario iniuncta prouenientibus. 2. Sed affirmatiuam sententiam sustinendam esse patet: & præter Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in summa, tom. 1. l. 4. c. 11. num. 49. docet hanc sententiam Nugnus in 3. p. tom. 2. tract. de Bull. Cruc. §. 8. dub. 5. Fernandez in examine Theol. moral. part. 3. cap. 9. §. 5. num. 1. Leone de Iubil. Vega in summa, tom. 1. c. 14. cas. 1. p. 2. quest. 1. 3. sect. 3. num. 151. Portel: in addit. ad dubia reg. verb. ieiun. num. 7. Villalobos in summa, tom. 1. tr. 2. 7. part. 2. c. 3. num. 59. qui bene addit, supradicta ieiunia Iubilæi, vbi non adest consuetudo abstinendi à lacticiis, extra Quadragesimam, posse fieri edendo illa, etiam absque Bulla Cruciatæ: quod etiam docuerat Villalobos, vbi supra, & tract. 2. 3. dub. 8. num. 12. & Henriquez lib. 7. cap. 11. numero 4. & in Glossa, littera K, & capite 13. num. 13. quia iure communi non prohibentur oua per an. tom. IV.

num, nisi esset consuetudo quadraginta annorum præscripta.

3. Sed Sancius in Selectis, disp. 4. num. 19. Sanchez in summa, vbi supra, tom. 1. l. 4. cap. 11. num. 52. quem postea sequutus est Portel. in addit. ad dubia reg. verb. ieiunium, n. 7. putant, non solum de iure, sed neque de consuetudine interdicti in die ieiunij, lacticia extra Quadragesimam? Sed, quicquid sit de hoc, certum est, quòd ex priuilegio Bullæ impleri possunt ieiunia Iubilæi cum esu lacticiniorum. Et ratio est: quia Iubilæus non requirit strictius ieiunium, quam est ieiunium Quadragesimæ: sed ieiunium Quadragesimæ impletur in nostro casu cum esu lacticiniorum: ergo, &c.

Sup. hoc in Resol. not. præterea, §. 1. ad medietatem, & in Resol. 50. §. vlt. & in Resol. 51. §. 2. & in Resol. 55. cursum ad lin. 5. & in Resol. 56. §. Sed & in Resol. 58.

RESOL. CLXVIII.

An licitum sit in ieiuniis Iubilæi, voti, & impositis poenitentia, comedere oua, & lacticia cum Bulla Cruciatæ? Ex p. 1. tr. 9. Ref. 17.

§. 1. Quidquid aliqui contradicant, (vt adnotauimus in tract. de Bulla Cruciatæ,) respondeo affirmatiuè: & præter DD. quos ibi citauimus, docet hanc sententiam Molfesius in sum. tom. 1. tract. 10. c. 4. n. 28. Alphonsi de Leone tr. de Iubil. q. 14. sect. 1. n. 142. Et ratio est: quia, dum contrarium non constat de mente Summi Pontificis, vouentes in voto, & Confessarij in penitentia iniuncta, semper præsumuntur se conformare, vt in aliis ieiuniis Ecclesiasticis efficitur: sed in aliis ieiuniis ab Ecclesia indictis licitum est cum Bulla comedere lacticia: ergo licitum erit et in ieiunio Iubilæi, voti, & penitentia: quidquid, vt dixi, in contrarium sentiant Nauarrus, & Grassius.

Sup. omnibus cõtenis in hac Ref. in Ref. præterita, & pro parte in aliis eius primæ & secundæ annor. & sup. in §. vlt. Ref. 165.

RESOL. CLXIX.

An Regulares, & Presbyteri saculares sumendo Bullam possint diebus Dominicis Quadragesimæ vti lacticiis? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 5.

§. 1. Negatiuè respondendum videtur, cum Henriquez l. 7. c. 13. num. 10. Vegha in summa, tom. 1. c. 14. cas. 29. qui citat Angles, & Lopez. Idem etiam docet Ortiz in summa, c. 19. n. 8. Et ita respondisse Summum Pontificem interrogatum de hoc à quodam Commissario Cruciatæ testatur Rodriguez. Et ratio est: quia per Bullam prohibetur, ne supradicti possint vti lacticiis in diebus quadragesimalibus: sed dies Dominicis sunt dies quadragesimales: ergo, &c.

Sup. hoc inf. in tr. 6. Ref. 58. §. vlt. & sup. in Ref. 7. §. Quod autem, & absque Bulla in dicto casu ibid. §. Notandum, ad lin.

2. Hæc opinio est probabilis: sed contrariam etiam probabilem esse iudico, & in praxi tutam, vt notauit Nugnus in 3. part. tom. 2. tract. de Bulla Cruciatæ, §. 8. dub. 5. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 27. claus. 5. num. 11. Fernandez in examine Theolog. moral. part. 3. cap. 9. §. 5. numero 5. Llamas in summa, part. 3. cap. 5. §. 26. cum aliis. Et ratio est: quia secundum ius commune dies Dominicis non appellantur dies quadragesimales. Vide Cordubam in sum. cas. 168. & Palatium in 4. dist. 15. disput. 8. Ad responsonem verò Summi Pontificis respondetur, de illa authenticè non constare.

RESOL. CLXX.

An per priuilegium Bullæ dispensatus in esu carnum, censetur dispensatus ad ieiunandum? Et notatur, quod quando per Bullam quis dispensatus est, vt comedat carnes, & lacticia, possit simul comedere pisces.